

A. CORN. CELSI

MEDICINAE

LIBER PRIMUS.

CAP. I. \*)

Sanus homo, qui & bene valet, & suae spontis est, nullis obligare se legibus debet, ac neque Medico, neque alipta <sup>1)</sup>, egere. Hunc oportet varium habere vitae genus; modo ruri esse, modo in vrbe, saepiusque in agro; nauigare; venari; quiescere interdum, sed frequentius <sup>2)</sup> se exercere: siquidem ignauia corpus hebetat, labor firmat; illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit.

Prodest etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis vti; modo vngui, modo id ipsum negligere; nullum cibi genus fugere, quo populus vtatur; interdum in conuictu <sup>3)</sup> esse, interdum ab eo se retrahere; modo plus iusto, modo non amplius, adsumere; bis die potius, quam semel, cibum capere, & semper quam plurimum, dum modo hunc concoquat.

Sed vt huius generis exercitationes cibique necessarii sunt, sic athletici superuacui. Nam & inter-

---

\*) Omnes, praeter Targam & Valartum, praemittunt lemma:  
*Quemadmodum sanos agere conueniat.*

1) *alipta*) Lind. *iatroalipta*, ceteri *iatralipta*.

2) *frequentius*) Lind. *frequenter*.

3) *conuictu*) Omnes, praeter Lindenium & Targam, *conuiuio*.

termiffus propter aliquas ciuiles neceffitates ordo exercitationis corpus adfligit, & ea corpora, quae more eorum repleta funt, celerrime & fenefcunt, & aegrotant.

Concubitus \*) vero neque nimis concupifcendus, neque nimis pertimefcendus eft. Rarus corpus excitat: frequens foluit. Quum autem frequens non numero fit, fed natura, ratione aetatis & corporis, fcire licet, eum non inutilem effe, quem corporis neque languor, neque dolor, fequitur. Idem interdium peior eft <sup>6</sup>, tutior noctu <sup>7</sup>, ita tamen, fi neque illum cibus, neque hunc cum vigilia labor ftatim fequitur.

Haec firmis feruanda funt, cauendumque, ne in fecunda valetudine aduerfae praefidia confumantur.

## CAP. II. †)

**A**t <sup>1)</sup> imbecillis <sup>2)</sup>, quo in numero magna pars urbanorum, omnesque paene cupidi litterarum funt, ob-

4) aliquas ciuiles) Targa ciuiles aliquas.

\*) Omnes, praeter Targam & Valartum, praemittunt lemma: De concubitu.

5) corporis, fcire) Val. corporis. Scire.

6) peior eft) Lind. & Val. omittunt eft.

7) tutior noctu) Targ. noctu tutior.

†) Lommius praemittit lemma:

Quae ftomacho imbecillis feruanda funt.

Lindenius & Kraufius:

Quae imbecillis feruanda funt.

1) At) Lomm. Et.

2) imbecillis) Lomm. & Val. addunt ftomacho.

obseruatio maior necessaria est, vt, quod vel corporis, vel loci, vel studii, ratio detrahit, cura restituat. Ex his igitur, qui bene concoxit, mane tuto surget; qui parum, quiescere debet, & si mane surgendi necessitas fuit <sup>3)</sup>, redormire; qui non concoxit, ex toto conquiescere, ac neque labori se, neque exercitationi, neque negotiis <sup>4)</sup>, credere. Qui crudum sine praecordiorum dolore ructat, is ex interuallo aquam frigidam bibere debet <sup>5)</sup>, & se nihilo minus continere.

Habitare vero eos oportet <sup>6)</sup> aedificio lucido, perflatum aestiuum, hibernum solem, habente <sup>7)</sup>; cauere meridianum solem, matutinum & vespertinum frigus, itemque auras fluminum atque stagnorum, minimeque, nubilo coelo, soli adparenti <sup>8)</sup> se committere, ne modo frigus, modo calor, moueatur <sup>9)</sup>: quae res maxime grauedines destillationesque concitat. Magis vero grauibus locis ista seruanda sunt, in quibus etiam pestilentiam faciunt.

Scire autem licet, integrum corpus esse, quum quotidie mane vrina alba, deinde <sup>10)</sup> rufa est: illud concoquere, hoc concoxisse significat.

D 2

Vbi

3) fuit) omnes fuerit.

4) negotiis) omnes, si Targam exceperis, negotio.

5) debet) omnes, praeter Lommium, hanc vocem ignorant.

6) eos oportet) Nullus duo haec vocabula agnoscit.

7) habente) Lomm. habenti.

8) adparenti) omnes aperienti.

9) moueatur) Val. noceat, reliqui moueat.

10) deinde) omnes dein.

Vbi experrectus est aliquis, paullum intermittere, deinde, nisi si <sup>11)</sup> hiems est, fouere os multa aqua frigida debet: longis diebus meridiari potius ante cibum, si — — — <sup>12)</sup>: sin minus, post eum: per hiemem potissimum totis noctibus conquiescere: sin lucubrandum est, non post cibum id facere, sed post concoctionem.

Quem interdiu vel domestica, vel ciuilia officia tenuerunt, huic tempus aliquod seruandum curationi corporis sui est. Prima autem eius curatio exercitatio est, quae semper antecedere cibum debet, in eo, qui minus laborauit, & bene concoxit, amplior <sup>13)</sup>: in eo, qui fatigatus <sup>14)</sup> est, & minus concoxit, remissior <sup>15)</sup>. Commode vero exercent clara lectio, arma, pila, curfus, ambulatio: atque haec non vtique <sup>16)</sup> plana commodior est, si quidem <sup>17)</sup> melius adscensus quoque & descensus cum quadam varietate corpus moueat, nisi tamen id perquam imbecillum est. Melior autem est sub diuo, quam in porticu; melior, si caput patitur, in sole, quam in vmbra; melior in vmbra, quam paries <sup>18)</sup> aut viri-

- 
- 11) nisi si) Apud omnes posterior vocula desideratur.  
 12) si — — —) Nullus neque particulam *si* habet, neque lacunam heic agnoscit.  
 13) *amplior*) Lind. *remissior*.  
 14) *fatigatus*) Lind. *adsuetus*.  
 15) *remissior*) Lind. *amplior*.  
 16) *utique*) Val. *vbique*.  
 17) *si quidem*) Omnes *siquidem*.  
 18) *paries*) Omnes *parietes*.

viride<sup>19)</sup> efficiunt, quam quae tecto subest; melior recta, quam flexuosa. Exercitationis autem plerumque finis esse debet sudor, aut certe lassitudo, quae citra fatigationem fit: idque ipsum modo minus, modo magis, faciendum est. Ac ne his quidem, athletarum exemplo, vel<sup>20)</sup> certa esse lex, vel immodicus<sup>21)</sup> labor, debet.

Exercitationem recte sequitur modo vnctio, vel in sole, vel ad ignem, modo balneum, sed conclauui<sup>22)</sup> quam maxime & alto, & lucido, & spatiofo. Ex his vero neutrum semper<sup>23)</sup> fieri oportet, sed saepius alterutrum, pro corporis natura. Post haec paullum conuiescere opus est.

Vbi ad cibum ventum est, numquam utilis est nimia satietas, saepe inutilis nimia abstinentia: si qua<sup>24)</sup> intemperantia subest, tutior<sup>25)</sup> est in potione, quam in esca. Cibus a falfamentis, oleribus, similibusque rebus, melius incipit: tum caro adsumenda est, quae assa optima, aut elixa, est. Condita omnia duabus de causis inutilia sunt, quoniam & plus propter dulcedinem adsumitur, &, quod modo  
par

19) *viride*) Targa *viridia*, ceteri *viridaria*.

20) *vel*) Val. hanc particulam omittit.

21) *immodicus*) Omnes, si Targam eximium feceris, addiunt *esse*.

22) *conclauui*) Sic solus Targa, reliqui *in conclauui*.

23) *semper*) Lomm. & Val. *saepe*.

24) *si qua*) Sic Targa. Val. *sed, si qua*, ceteri *saepe, si qua*.

25) *tutior*) Lomm. *durior*.

par est, tamen <sup>26)</sup> aegrius concoquitur. Secunda mensa bono stomacho nihil nocet: in imbecillo coacescit. Si quis itaque hoc parum valet, palmas, pomaque, et similia, melius primo cibo adsumit. Post multas potiones, quae aliquantum sitim exceferunt, nihil edendum est, post satietatem, nihil agendum. Vbi expletus est aliquis, facilius concoquit, si, quidquid adsumsit, potionem aquae frigidae includit, tum paullisper inuigilat <sup>27)</sup>, deinde bene dormit. Si quis interdum se impleuit, post cibum neque frigori, neque aestui, neque labori, se debet committere. Neque enim tam facile haec, inani corpore, quam repleto, nocent. Si quibus de causis futura inedia est, labor omnis vitandus est.

### CAP. III. \*)

**A**tque haec quidem paene perpetua sunt. Quasdam <sup>1)</sup> obseruationes desiderant et nouae res, et corporum genera <sup>2)</sup>, et aetates, et tempora anni.  
Nam

26) tamen) Val. id tamen.

27) inuigilat) Val. inuigilet.

\*) Lomm. Lind. Kraus. praefigunt lemma:

*Obseruationes quaedam, prout res nouae accidunt (Lind. incidunt) et corporum (Lomm. et prout corporum) genera, et sexus, et aetates, et tempora anni sunt.*

1) autem) Lind. Kraus. Val. tamen.

2) genera) Omnes addunt: et sexus. Targa tamen haec duo verba additicia esse suspicatur.

Nam neque ex salubri loco in grauem, neque ex graui in salubrem transitus fatis tutus est. Ex salubri in grauem prima hieme; ex graui in eum, qui salubris est, prima aestate transire melius est. Neque vero ex multa fame nimia satietas, neque ex nimia satietate fames idonea est. Periclitaturque <sup>3)</sup>, et qui semel, et qui bis die cibum incontinenter <sup>4)</sup> contra consuetudinem adsumit.

Item neque ex nimio labore subitum otium, neque ex nimio otio subitus labor, sine graui noxa est. Ergo, quum quis mutare aliquid volet, paulatim debet adfuescere.

Omnem etiam laborem facilius adfuetus <sup>5)</sup> vel puer, vel senex, quam infuetus homo, sustinet. Atque ideo quoque nimis otiosa vita utilis non est, quia potest incidere laboris necessitas.

Si quando tamen infuetus aliquis laborauit, aut si <sup>6)</sup> multo plus, quam solet, etiam is, qui adfuevit, huic ieiuno dormiendum est, multoque <sup>7)</sup> magis, si etiam os amarum est, vel oculi caligant, aut venter perturbatur. Tunc <sup>8)</sup> enim non dormiendum tantum modo ieiuno est, sed etiam in posterum

3) *Periclitaturque*) Val. *Periclitatur quoque.*

4) *incontinenter*) Val. *continenter.*

5) *adfuetus*) Omnes hoc vocabulum ignorant.

6) *si*) Solus Targa hanc particulam agnoscit.

7) *multoque*) Omnes *multo.*

8) *Tunc*) Omnes *tum.*

rum diem permanendum <sup>9)</sup>, nisi cito id quies sustulit. Quod si factum est, surgere oportet, et lente paullum <sup>10)</sup> ambulare. At si somni necessitas non fuit, quia modice magis aliquis laborauit, tamen ingredi aliquid <sup>11)</sup> eodem modo debet.

Communia deinde omnibus sunt, post fatigationem cibum sumturis, vbi paullum ambulauerunt, si balneum non est, calido loco, vel in sole, vel ad ignem, vngui, atque sudare; sin <sup>12)</sup> est, ante omnia in tepidario sedere <sup>13)</sup>, deinde, vbi paullum conquieuerunt <sup>14)</sup>, intrare, et descendere in solium, tum multo oleo vngui, leniterque perfricari, iterum in solium descendere, post haec os aqua calida fouere, deinde frigida. Balneum his feruens idoneum non est. Ergo, si nimium alicui fatigato paene febris est, huic abunde est loco tepido demittere se in quinibus tenus in aquam calidam, cui paullum olei sit adiectum <sup>15)</sup>, deinde totum quidem corpus, maxime tamen eas partes, quae in aqua fuerunt, leniter perfricare ex oleo, cui vinum et paullum contriti salis sit adiectum.

Post haec omnibus fatigatis aptum est cibum sumere, eoque humido vti; aqua, vel certe diluta portio-

9) *permanendum*) Lind. et Val. *ita permanendum*.

10) *paullum*) Omnes, excepto Targa, *paullulum*.

11) *aliquid*) Lind. Kraus. Val. *aliquantum*.

12) *sin*) Omnes *si*.

13) *sedere*) Sic Targa, ceteri *residere*.

14) *conquieuerunt*) Lomm. *conquierunt*.

15) *sit adiectum*) Lomm. Lind. Val. *adiectum sit*.



tione, esse contentos, maximeque ea, quae moueat  
 vrinam. Illud quoque nosse oportet, quod ex labo-  
 re sudanti frigida <sup>16)</sup> potio perniciosissima est, atque  
 etiam, quum sudor se remifit <sup>17)</sup>, itinere fatigatis  
 inutilis. A balneo quoque venientibus Asclepiades  
 inutilem eam iudicauit: quod in iis <sup>18)</sup> verum est,  
 quibus alius facile, nec tuto, resoluitur, quique  
 facile inhorrescunt, perpetuum in omnibus non est,  
 quum potius naturale sit, frigida <sup>19)</sup> potione aestuan-  
 tem stomachum refrigerari <sup>20)</sup>. Quod ita praecipio,  
 vt tamen fatear, ne ex hac quidem causa sudanti  
 adhuc frigidum bibendum <sup>21)</sup> esse.

Solet etiam prodesse, post varium cibum fre-  
 quentesque dilutas potiones, vomitus, et postero die  
 longa quies, deinde modica exercitatio.

Si assidua fatigatio <sup>22)</sup> vrguet, in vicem modo  
 aqua, modo vinum bibendum est, raroque balneo  
 vtendum. Leuatque <sup>23)</sup> lassitudinem etiam laboris  
 mutatio, cumque, quem nouum genus eiusdem <sup>24)</sup>

D 5

laboris

16) frigida) Lind. frigidae.

17) se remifit) Lind. remifit.

18) iis) Omnes, praeter Targam, his.

19) frigida) Omnes hoc vocabulum ignorant.

20) refrigerari) Omnes, si Targam exceperis, adiciunt:  
 frigentem calefieri.

21) frigidum bibendum) Lind. frigidam bibendam, Val.  
 frigidam bibendum.

22) fatigatio) Lind. et Val. oscitatio.

23) Leuatque) Val. Leuat quoque.

24) eiusdem) Lind. Kraus. Val. cuiusdam. Targa vo-  
 cem mauult inductam.

laboris pressit, id, quod <sup>25)</sup> in consuetudine est, reficit. Fatigato quotidianum cubile tutissimum est. Lassat enim, quod contra consuetudinem seu <sup>26)</sup> molle, seu durum est.

Proprie <sup>27)</sup> quaedam ad eum pertinent, qui ambulando fatigatur. Hunc reficit in ipso quoque itinere frequens frictio, post iter, primum sedile, deinde unctio, tum calida aqua in balneo <sup>28)</sup> magis superiores <sup>29)</sup> partes, quam inferiores <sup>30)</sup>, foueat.

Si quis vero exustus in sole est, huic in balneum proinus eundum <sup>31)</sup>, perfundendumque oleo corpus et caput, deinde in folium bene calidum descendendum est, tum multa aqua per caput infundenda, prius calida, deinde frigida. <sup>32)</sup>

At ei, qui perfrixit, opus est in balneo <sup>33)</sup> primum inuolutum <sup>34)</sup> sedere, donec insudet, tum ungui, deinde lauari, cibum modicum, potiones <sup>35)</sup> meracas adfumere.

Is

25) *id, quod*) Val. *id, ei quod.*

26) *Lassat enim, quod contra consuetudinem seu*) Omnes, excepto Targa: *insolitum contra lassat. Quod enim contra consuetudinem est, nocet, seu.*

27) *Proprie*) Lomm. *Propria.*

28) *in balneo*) Lind. *aut balneo.*

29) *superiores*) Lind. et Kraus. *inferiores.*

30) *inferiores*) Lind. et Kraus. *superiores.*

31) *eundum*) Omnes, praeter Targam, *addunt est.*

32) *frigida*) Lind. *adiicit est.*

33) *in balneo*) Lomm. *balneo*: Lind. Kraus. Val. *in laconico.*

34) *inuolutum*) Omnes *inuoluto.*

35) *potiones*) Lomm. et Kraus. *deinde potiones.*

Is vero, qui nauigauit, et nausea pressus est, si multam bilem euomuit, vel abstinere cibo debet, vel paullum aliquid adsumere; si pituitam acidam effudit, utique sumere cibum, sed adueto leuiorem; si sine vomitu nausea fuit <sup>36)</sup>, vel abstinere, vel post cibum vomere.

Qui vero toto die vel in vehiculo, vel in spectaculis, sedit, huic nihil currendum, sed lente ambulandum est: lenta quoque in balneo mora, deinde <sup>37)</sup> coena exigua, prodesse consueuerunt.

Si quis in balneo aestuat, reficit hunc ore exceptum, et in eo retentum acetum: si id non est, eodem modo frigida aqua adsumta.

Ante omnia autem norit quisque <sup>38)</sup> naturam sui <sup>39)</sup> corporis, quoniam <sup>40)</sup> alii graciles, alii obesi sunt; alii frigidiores; alii humidi, alii ficci <sup>41)</sup>; alios adstricta, alios resoluta aluus exercet: raro quisquam non aliquam partem corporis imbecillam habet.

Tenuis vero homo implere se debet, plenus extenuare; calidus refrigerare, frigidus calefacere; madens siccare, siccus madefacere; itemque aluum firmare is, cui fusa, soluere is, cui adstricta est; succurrendumque semper parti maxime laboranti est.

\*) Im-

36) nausea fuit) Lind. nauseauit.

37) deinde) Omnes dein.

38) norit quisque) Lind. scire conuenit.

39) sui) Lind. hanc uoculam non agnoscit.

40) quoniam) Lind. quia.

41) ficci) Lind. et Val. ficciores.

\*) Implet autem corpus modica exercitatio, frequentior quies, vinctio, et, si post prandium est, balneum, contracta aluus, modicum frigus hieme, somnus et <sup>42)</sup> plenus, et non nimis <sup>43)</sup> longus, molle cubile, animi securitas, adsumta per cibos et potiones maxime dulcia et pinguia, cibus et frequentior <sup>44)</sup>, et quantus plenissimus <sup>45)</sup> potest concoqui. <sup>46)</sup>

\*\*\*) Extenuat <sup>47)</sup> aqua calida, si quis in eam descendit, magisque, si falsa est, in ieiuno <sup>48)</sup> balneum, inurens sol, et omnis calor, cura, vigilia, somnus nimium vel brevis, vel longus, durum cubile <sup>49)</sup>, cursus, multa ambulatio, omnisque vehemens exercitatio, vomitus, deiectio, acidae res et aufterae, et eae <sup>50)</sup> semel die <sup>51)</sup> adsumtae <sup>52)</sup>, et vini

\*) *Implet*) Lomm. Lind. et Kraus. praemittunt lemma:  
*De causis, quae implent corpus.*

42) *et*) Lind. hanc particulam ignorat.

43) *non nimis*) Lind. *non multum nimis.*

44) *cibus et frequentior*) Lind. *frequentior cibus.*

45) *quantus plenissimus*) Lind. *quantum plenissime.*

46) *concoqui*) Lind. *digerere.*

\*\*\*) *Extenuat*) Lomm. Lind. et Kraus. praefigunt lemma:  
*De his, quae extenuant corpus.*

47) *Extenuat*) Lomm. *Extenuant.* Omnes autem addunt corpus. Targa tamen hanc vocem ex glossemate insertam esse suspicatus est.

48) *ieiuno*) Lomm. et Kraus. *ieiunio.*

49) *durum cubile*) Omnes: *lectus per aestatem terra, hieme durum cubile.* Targae tamen quinque illa vocabula fuerunt suspecta.

50) *eae*) Nullus hanc voculam agnoscit.

51) *die*) Lind. *in die.*

52) *adsumtae*) Omnes, praeter Targam, adiiciunt *epulae.*

ni non perfrigidi potio, ieiuno <sup>53)</sup> in consuetudinem adducta.

Quum vero inter extenuantia posuerim vomitum et deiectionem, de his quoque proprie <sup>54)</sup> quaedam dicenda sunt.

Eiectum <sup>55)</sup> esse ab Asclepiade vomitum in eo volumine, quod de tuenda sanitate composuit, video: neque reprehendo, si offensus eorum est consuetudine, qui, quotidie eiiciendo, vorandi facultatem molliuntur. Paulo etiam longius processit, siquidem <sup>56)</sup> purgationes quoque eodem volumine expulit. Et sunt eae <sup>57)</sup> perniciosae, si nimis valentibus medicamentis fiunt. Sed haec tamen submouenda esse, non est perpetuum, quia corporum temporumque ratio potest ea facere necessaria, dum et modo, et non, nisi quum opus est, adhibeantur. Ergo ille quoque ipse, si quid iam corruptum esset, expelli debere confessus est. Ita non ex toto res condemnanda est. Sed esse eius etiam plures causae possunt, estque in ea quaedam paullo subtilior observatio adhibenda.

\*) Vomitus vtilior est hieme, quam aestate. Nam tunc <sup>58)</sup> & pituitae plus, & capitis grauitas ma-

53) ieiuno) Lomm. ieiunio.

54) proprie) Lomm. et Lind. propria.

55) Eiectum) Lind. et Val. Reiectum.

56) siquidem) Omnes idem.

57) eae) Omnes, excepto Targa, hae.

\*) Vomitus) Lomm. Lind. Kraus. praemittunt lemma:  
De vomitu.

58) tunc) Omnes tum.

maior subest. Inutilis est gracilibus, & imbecillum stomachum habentibus: utilis 59) plenis & biliosis omnibus, si vel nimium se replerunt, vel parum concoxerunt. Nam, siue plus est 60), quam quod concoqui 61) possit, periclitari, ne corrumpatur, non oportet, siue 62) corruptum 63), nihil commodius est, quam id, qua via primum expelli potest, eiicere. Itaque, ubi amari ructus cum dolore & grauitate praecordiorum sunt, ad hunc protinus confugiendum est. Idem 64) prodest ei, cui pectus aestuat, & frequens saliuua, vel nausea est, aut cui 65) sonant aures, aut madent oculi, aut os amarum est, similiterque ei, qui vel coelum, vel locum mutat, iisque 66), quibus, si per plures dies non vomuerunt, dolor praecordia infestat. Neque ignoro, inter haec praecipui quietem, quae non semper contingere potest agendi necessitatem habentibus, nec in omnibus idem facit. Itaque istud luxuriae causa fieri non oportere confiteor: interdum valetudinis causa recte fieri, experimentis credo, cum eo 67) tamen, ne

59) utilis) Lomm. utilis est vero. Lind. utilis vero, Kraus. utilis est. Val. utilis vero est.

60) siue plus est) Val. siue quis plus est.

61) concoqui) Val. concoquere.

62) siue) Lomm. si vero. Lind. Kraus. Val. siue iam.

63) corruptum) Omnes addunt est.

64) Idem) Lomm. Item.

65) cui) Lind. et Targ. hanc voculam ignorant.

66) iisque) Lomm. his, Lind. et Kraus. hisque.

67) cum eo) Omnes, praeter Targam, commoneo.

ne quis, qui valere & senescere velit \*), hoc quotidianum habeat. Qui vomere post cibum volet, si ex facili id 68) facit, aquam tantum tepidam ante debet 69) adsumere: sin 70) difficilius, aquae vel fa-  
lis, vel mellis, paulum adiicere. At qui mane vomiturus est, ante bibere mulsum, vel hyssopum, aut esse 71) radiculam debet, deinde aquam tepidam, vt supra scriptum est, bibere. Cetera, quae antiqui Medici praeceperunt, stomachum omnia infestant. Post vomitum, si stomachus infirmus est, paulum cibi, sed huius idonei, gustandum, & aquae frigidae cyathi tres bibendi sunt, nisi tamen 72) fauces vomitus 73) exasperarunt. Qui 74) vomuit, si mane id fecit, ambulare debet, tum vngui, deinde coenare: sin 75) post coenam, postero die lauare, & in balneo sudare. Huic 76) proximus cibus mediocris vtilior est: isque esse debet cum pane hesterno, vino austero meraco, & carne assa, cibusque omnibus quam  
sic.

\*) *velit*) Omnes *volet*.

68) *id*) Nemo hanc voculam agnoscit.

69) *debet*) Omnes *debet*.

70) *sin*) Omnes *si*.

71) *hyssopum, aut esse*) Lind. Kraus. Val. *hyssopum esse, aut.*

72) *sunt, nisi tamen*) Lomm. Kraus. Val. *sunt. Si autem.* Lind. *sunt, siquidem.*

73) *fauces vomitus*) Omnes *vomit* fauces.

74) *exasperarunt, Qui*) Lomm. Kraus. Val. *exasperavit* qui. Lind. & Targ. *exasperavit. Qui.*

75) *sin*) Omnes *si*.

76) *Huic*) Lomm. *Hinc,*

ficcissimis. Qui vomere bis mense 77) volet 78), melius sibi 79) consulat, si biduo continuerit, quam si post quintum decimum diem vomuerit, nisi si 80) haec mora grauitatem pectoris 81) faciet.

\*) Deiectio autem medicamento 82) quoque petenda est, vbi venter suppressus parum reddit, ex eoque inflationes 83), caligines, capitis dolores, aliaque superioris partis mala increfcunt. Quid enim inter haec adiuuare possunt quies & inedia, per quae illa 84) maxime eueniunt. Qui deiicere 85) volet, primum cibus vinisque vtatur 86) iis 87), quae hoc praestent 88), deinde 89), si parum illa proficiunt 90), aloën fumat. Sed purgationes quoque, vt interdum necessariae sunt, sic, vbi frequentes sunt, periculum

77) mense) Omnes in mense.

78) volet) Omnes vult.

79) sibi) Omnes hanc vocem ignorant.

80) si) Nullus hanc voculam agnoscit.

81) pectoris) Omnes pectori.

\*) Deiectio) Lomm. Lind. Kraus. praefigunt lemma:  
*De deiectionibus.*

82) medicamento) Lomm. Lind. Val. a medicamento.

83) inflationes) Lomm. Kraus. Val. inflammationes.

84) per quae illa) Lomm. quae per illam, Val. per quas illa

85) deiicere) Lomm. eiicere.

86) vtatur) Lomm. vtetur.

87) iis) Omnes, si Targam exceperis, his.

88) praestent) Lomm. Lind. Targ. praestant.

89) deinde) Lomm. Lind. Kraus. Val. dehinc, Targ. dein.

90) proficiunt) Lind. proficiunt.



lum adferunt. Adfuescet <sup>91)</sup> enim non ali corpus,  
& ob hoc infirmum erit <sup>92)</sup>, — — <sup>93)</sup> quum omni-  
bus morbis obnoxia maxime infirmitas fit.

\*) Calefacit <sup>94)</sup> autem <sup>95)</sup> vnctio, aqua falsa, ma-  
gisque, si calida est, omnia falsa <sup>96)</sup>, amara, car-  
nosa, si post cibum est, balneum <sup>97)</sup>, vinum austerum.

Refrigerat <sup>98)</sup> in ieiuno <sup>99)</sup> & balneum <sup>100)</sup>, & som-  
nus, nisi si <sup>101)</sup> nimis longus est, omnia <sup>102)</sup> acida,  
aqua quam frigidissima, oleum, si aqua <sup>103)</sup> misce-  
tur <sup>104)</sup>.

\*) Hu-

91) *Adfuescet*) Omnes *Adfuescit*.

92) *Et ob hoc infirmum erit*) Hoc membrum a Targa  
eiectum est.

93) — —) Nulli lacuna heic suboluit.

\*) *Calefacit*) Lomm. Lind. Kraus, praefigunt lemma:  
*De his, quae calefaciunt, Et refrigerant corpus.*

94) *Calefacit*) Lind. *Calefaciunt*.

95) *autem*) Lind. hanc particulam ignorat.

96) *omnia falsa*) Lomm. *omnia Et falsa*.

97) *amara, carnosae, si post cibum est balneum*) Haec  
verba Lind. hinc tollit.

98) *Refrigerat*) Lind. *Contra refrigerant*. Val. *Contra  
refrigerat*.

99) *ieiuno*) Lomm. Kraus. Val. *ieiunio*. Lind autem post  
hoc vocabulum verba illa, quae supra expulerat, ab  
exfilio reuocata, collocat.

100) *Et balneum*) Lind. neutrum vocabulum agnoscit,  
Kraus. prius ignorat.

101) *nisi si*) Nullus posteriorem particulam habet.

102) *omnia*) Omnes praemittunt *et*.

103) *aqua*) Lomm. *aquae*.

104) *misceatur*) Lomm. Kraus. Val. *misceatur*. Lind. ad-  
dit. *Et lotus*.

\*) Humidum 105) autem corpus efficit modica exercitatio, frequens balneum, vnctio, cibus plenior, multa potio, cibus, exercitationi statim subiectus, ea

\*) Lomm. & Lind. praefigunt lemma:  
*De his, quae humidant & siccant.*

Krausius:

De his, quae humidum reddunt & siccant corpus.

105) Humidum) Deprauatam in hac sectione seriem orationis Lommus sic corrigere conatus est: *Humidum autem corpus efficit labor minor, quam ex consuetudine, frequens balneum, cibus plenior, multa potio, post haec ambulatio, & protinus cibus adiectus, ea genera escae, quae ex locis veniunt frigidis, & pluuiis, & irriguis. Contra siccant immodica exercitatio, fames, vigilia, vnctio sine aqua, calor, sol immodicus, frigida aqua, cibus, matutinae exercitationi non statim subiectus, (editio, qua vtor, vtor autem tertia, quae Lugduni Batanorum 1734. 8. prodiit, hoc membrum ita exhibet: cibus, exercitationi statim subiectus. Sed quum commentarius rationem reddat, cur & matutina exercitatio, & cibus, longiore post exercitationem tempore sumtus, siccandi vim habeat, dubitare non licet, quin duo ista, quae adieci, vocabula, matutinae & non, per operarum incuriam exciderint) & is ipse ex siccis & aestuosis locis veniens. Lindenius, Krausius, Targa, & Valartus, vulgatam seriem retinent, in ipsis autem verbis passim inter se discrepant. Dabo contextum, qualis a Lindenio constitutus est, variantesque reliquorum lectiones, circellis inclusas, ubique protinus subiiciam. *Humidant autem corpus (rel. Humidum autem corpus efficit) labor minor, (Targ. maior) quam ex consuetudine, frequens balneum, cibus plenior, multa potio, post hanc (Kraus, & Targ. haec)**

am-

ea genera escae, quae veniunt ex locis frigidis, & pluuiis, & irriguis. Contra siccant labor maior, quam ex consuetudine, fames, sine aqua calor, sol modicus, frigida aqua, post haec ambulatio, & vigilia, per se quoque ambulatio multa, & matutina, & vehemens, exercitationi non protinus cibus subiectus, & is ipse ex siccis & aestuosis locis veniens.

\*) Aluum adstringit labor, sedile, creta figularis, corpori illita, cibus imminutus, et is ipse semel die adsumtus ab eo, qui bis solet, exigua potio, neque adhibita, nisi quum cibi quis, quantum adsumpturus est, cepit, post cibum quies. Contra soluit aucta ambulatio atque esca, motus <sup>106</sup>, qui post cibum est, subinde potiones cibo immistae. Illud quoque scire oportet, quod ventrem vomitus solutum comprimit, compressum soluit: itemque comprimit

is

---

*ambulatio, & vigilia, per se quoque ambulatio multa, & vehemens, & matutinae exercitationi (Kraus. & Val. matutina exercitatio, &) non protinus cibus adiectus. ea genera escae, quae veniunt ex locis frigidis, & pluuiis, & irriguis. (rel. irriguis) Contra siccant (rel. siccant) immodica (Targ. modica) exercitatio, fames, vntio, sine aqua calor, (Kraus. & Targ. vntio sine aqua, calor,) sal (rel. sol) immodicus, (Targ. & Val. modicus) frigida aqua, cibus, exercitationi statim subiectus, & is ipse ex siccis & aestuosis locis (hanc vocem Val. non agnoscit) veniens.*

\*) Aluum) Lomm. Lind. et Kraus. praemittunt lemma:

*De his, quae aluum adstringunt et soluant,*

<sup>106</sup>) Motus) Lomm. post motus.

is vomitus, qui statim post cibum est, soluit is, qui tarde superuenit.

\*) Quod ad aetates vero pertinet, in ediam facillime sustinent mediae aetates, minus iuuenes, minime pueri et senectute confecti. Quo minus fert facile quisque, eo saepius debet cibum adsumere: maximeque eo eget, qui increfcit. Calida lauatio et pueris et senibus apta est. Vinum dilutius pueris, senibus meracius, neutri aetati, quae inflationes mouent. Iuuenum minus, quae adfumant, et quo modo curentur, interest. Quibus iuuenibus fluxit aluus, plerumque in senectute contrahitur: quibus in adolescentia fuit adstricta, saepe in senectute soluitur. Melior est autem in iuuenes fusior, in senes adstrictior.

\*\*) Tempus quoque anni considerare oportet. Hieme plus esse conuenit, minus, sed meracius, bibere, multo pane uti, carne potius elixa, modice oleribus, semel die cibum capere, nisi si nimis<sup>107</sup> venter adstrictus est. Si prandet aliquis, utilius est exiguum aliquid, et id ipsum<sup>108</sup> siccum, sine carne, sine potione, sumere. Eo tempore anni calidis  
omni-

---

\*) Quod) Lomm. Lind. et Kraus. praefigunt lemma:

*De aetatum varietate.*

\*\*) lidem praemittunt lemma:

*De varietate temporum.*

107) nimis) Lomm. minus.

108) id ipsum) Omnes priorem voculam ignorant.

omnibus potius vtendum est, vel calorem mouentibus. Venus tunc <sup>109)</sup> non aequè perniciofa est.

At vere paullum cibo demendum, adiciendumque potioni, sed dilutius tamen bibendum est, magis carne vtendum, magis oleribus, transeundum paullatim ad affa ab elixis <sup>110)</sup>. Venus eo tempore anni tutiffima est.

\*) Aestate vero et potione et cibo corpus faepius eget <sup>111)</sup>, et ideo <sup>112)</sup> prandere quoque commodum est. Eo tempore aptiffima sunt et caro, et olus, potio quam dilutiffima, vt et fitim tollat, nec corpus incendat, frigida lauatio, caro affa, frigidi cibi, vel qui refrigerent. Vt faepius autem cibo vtendum, fic exiguo est.

\*\*) Per auctumnum <sup>113)</sup>, propter coeli varietatem, periculum maximum est. Itaque neque sine veste, neque sine calceamentis, prodire oportet, praecipueque diebus frigidioribus, neque sub diuo <sup>114)</sup> nocte <sup>115)</sup> dormire, aut certe bene operiri. Cibo ve-

E 5

ro

109) tunc) Omnes tum.

110) ad affa elixis) Lind. et Val. ab elixis ad affa.

\*) Lomm. Lind. et Kraus. praefigunt lemma:

*De diaeta ciborum potionumque.*

111) corpus faepius eget) Lind. et Targ. faepius corpus eget. Val. eget faepius corpus.

112) et ideo) Nullus priorem voculam agnoscit.

\*\*) Lomm. Lind. et Kraus. praemittunt lemma:

*Auctumnalis diaeta.*

113) auctumnum) Lind. Targ. Val. adiciunt vero.

114) diuo) Kraus. dio.

115) nocte) Lind. noctu.

ro iam paullo pleniore uti licet, minus, sed meracius, bibere.

Poma nocere quidam putant, quae immodice toto die plerumque sic adsumuntur, ne <sup>116)</sup> quid ex densiore cibo remittatur. Ita non haec, sed consummatio omnium nocet. Ex quibus in nullo tamen minus, quam in his, noxae <sup>117)</sup> est. Sed his uti non saepius, quam alio cibo, conuenit. Denique aliquid densiori cibo, quum hic accedit, necessarium est demi.

Neque aestate vero <sup>118)</sup>, neque auctumno, utilis Venus est, tolerabilior tamen per auctumnum: aestate <sup>119)</sup> ex toto <sup>120)</sup>, si fieri potest, abstinendum est. <sup>121)</sup>

### CAP. III. \*)

**P**roximum est, ut de iis <sup>1)</sup> dicam, qui partes aliquas corporis imbecillas habent. Cui caput infirmum est, is, si bene concoxit <sup>2)</sup>, leniter <sup>3)</sup> perfri-

<sup>116)</sup> ne) Lind. Kraus. Val. ut ne.

<sup>117)</sup> noxae) Lind. noxa.

<sup>118)</sup> vero) Lomm. hanc vocem ignorat.

<sup>119)</sup> aestate) Lomm. adiicit vero.

<sup>120)</sup> ex toto) Omnes in totum.

<sup>121)</sup> est) Lomm. Kraus. Val. hanc voculam non habent.

\*) Lomm. et Kraus. praefigunt lemma :

*De his, qui aliqua parte corporis laborant, ac (Kraus. et) primum de his, quibus caput infirmum est.*

Lind.

*De his, quibus caput infirmum est.*

1) iis) Omnes, praeter Targam, his.

2) concoxit) Lomm. Kraus. Val. concoxerit.

3) leniter) Lomm. leuiter.

fricare id mane manibus suis debet, numquam id, si fieri potest, veste velare, ad cutem tonderi 4), utique 5) lunam vitare, maximeque ante ipsum lunae solisque concursum, sed numquam 6) magis, quam 7) post cibum 8); si cui capilli sunt, eos quotidie pectere; multum ambulare, sed, si licet, neque 9) sub tecto, neque in sole; utique 10) autem vitare solis ardorem, maximeque post cibum et vinum; potius ungui, quam lauari; numquam ad flammam ungui, interdum ad prunam; si in balneum venit, sub veste primum paullum in tepidario insudare; ibi ungui; tum transire in calidarium; vbi insudavit 11), in solium non descendere, sed multa calida aqua per caput se totum perfundere, tum tepida 12), deinde 13) frigida, diutiusque ea caput, quam ceteras partes, perfundere; deinde id aliquam diu perfricare; nouissime detergere et unguere.

Capiti nihil aequae prodest, atque aqua frigida. Itaque is, cui hoc infirmum est, per aestatem id bene largo canali quotidie debet aliquam diu subiicere:

E 4

re:

4) tonderi) Lind. Kraus. Val. *tondere*.

5) utique) Lomm. Lind. Kraus. *utileque*. Val. *utile quoque*.

6) numquam) Omnes *nusquam*.

7) magis, quam) Nullus duas has particulas agnoscit.

8) cibum) Omnes, excepto Targa, addunt *progradi*.

9) neque) Lomm. Kraus. Val. *ubique*.

10) utique) Lomm. Kraus. Val. *ubique*.

11) calidarium; vbi insudavit) Lomm. Kraus. *calidarium*, *vbi sudabit*. Lind. Targ. Val. *calidarium; vbi sudavit*.

12) tepida) Lomm. adiicit *uti*.

13) deinde) Lind. Kraus. Val. *dein*.

re: semper autem, etiam si sine balneo unctus est, neque totum corpus refrigerare <sup>14)</sup> sustinet, caput tamen aqua frigida perfundere, sed, quum ceteras partes attingi nolit, demittere id, ne ad ceruices aqua descendat, eamque, ne quid oculis, aliisque partibus, noceat, defluentem subinde manibus ad hoc <sup>15)</sup> regerere. Huic modicus cibus necessarius est, quem facile concoquat, isque, si ieiuno <sup>16)</sup> caput laeditur, adsumendus etiam medio die est; si non laeditur, semel potius. Bibere huic assidue vinum dilutum, lene <sup>17)</sup>, quam aquam, magis expedit, ut, quum caput grauius esse coeperit, sit, quo confugiat: eique ex toto neque vinum, neque aqua, semper utilia sunt; medicamentum vtrumque est, quum in vicem adsumitur. Scribere, legere, vocem <sup>18)</sup> contendere, huic opus non est, utique post coenam, post quam ne <sup>19)</sup> cogitatio quidem ei fatistuta est: maxime tamen vomitus alienus est.

### CAP. V. \*)

**N**eque vero iis <sup>1)</sup> solis, quos capitis imbecillitas torquet, usus aquae frigidae prodest, sed iis et-

14) refrigerare) Lind. refrigerari.

15) hoc) Lomm. os.

16) ieiuno) Lomm. Val. ieiunio.

17) lene) Lomm. leue.

18) vocem) Omnes voce.

19) ne) Omnes, si Targam exceperis, nec.

\*) Lomm. Lind. Kraus. praemittunt lemma:

*De his, qui lippitudine, grauedine, destillatione, tonsillisque laborant.*

1) iis) Omnes his.



etiam, quos adfiduae lippitudines, grauedines, destillationes, tonsillaeque male habent. His autem non caput tantum quotidie perfundendum <sup>2)</sup>, sed os quoque multa frigida aqua fouendum est, praecipueque omnibus, quibus hoc vtile auxilium est, eo vtendum est, vbi grauius coelum austri reddiderunt. Quumque omnibus inutilis sit post cibum aut contentio, aut agitatio <sup>3)</sup> animi, tum iis <sup>4)</sup> praecipue, qui vel capitis, vel arteriae, dolores habere consuerunt <sup>5)</sup>, vel quoslibet alios oris adfectus. Vitari etiam grauedines destillationesque possunt, si quam minime <sup>6)</sup>, qui iis <sup>7)</sup> opportunus est, loca <sup>8)</sup> aquasque mutat; si caput in sole protegit, ne incendatur, neue subitum ex repentino nubilo frigus id moueat <sup>9)</sup>; si post concoctionem ieiunus caput radit; si post cibum neque legit, neque scribit.

### CAP. VI. \*)

Quem vero frequenter cita <sup>1)</sup> aluus exercet, huic opus est pila similibusque superiores partes

E 5

exer-

2) *perfundendum*) Lomm. addit *est*.

3) *agitatio*) Lomm. Kraus. Val. *cogitatio*. Lind. *fatigatio*.

4) *iis*) Omnes, praeter Targam, *his*.

5) *consuerunt*) Lomm. Lind. Kraus. *consueuerunt*.

6) *minime*) Lomm. addit *eum*, Lind. Kraus. Val. *is*.

7) *iis*) Omnes *his*.

8) *loca*) Sic Targa, reliqui *aërem*, vel *loca*.

9) *id moueat*) Lind. *dimoueat*.

\*) Lomm. Lind. Kraus. praefigunt lemma:  
*Ad solutam aluum remedia.*

1) *cita*) Lomm. *citata*.

exercere; dum ieiunus est, ambulare; vitare solem <sup>2)</sup>, continua balnea; ungui citra sudorem; non uti cibis variis, minimeque iurulentis, aut leguminibus, oleribusue iis <sup>3)</sup>, quae celeriter descendunt; omnia denique fugere <sup>4)</sup>, quae non <sup>5)</sup> tarde concoquantur. Venatio, durique pisces, et ex domesticis animalibus assa caro maxime iuuant. Numquam vinum falsum bibere expedit, ne tenue quidem, aut dulce, sed austerum, et plenius, neque id ipsum peruetus. Si mulso uti vult <sup>6)</sup>, id ex decocto melle faciendum est. Si frigidae potiones ventrem eius non turbant, iis <sup>7)</sup> utendum potissimum est. Si quid offensae in coena sensit, vomere debet, idemque <sup>8)</sup> postero quoque die facere; tertio modici ponderis panem ex vino esse, adiecta vva ex olla, vel olea ex defruto <sup>9)</sup>, similibusque aliis; deinde ad consuetudinem redire; semper autem post cibum conquiescere, ac neque intendere animum, neque ambulatione, quamvis leni <sup>10)</sup>, dimoueri.

## CAP. VII.

2) solem) Omnes, praeter Targam, solis nimium ardorem.

3) iis) Omnes, excepto Targa, his.

4) fugere) Sic Lomm. ceteri sumere.

5) non) Nullus hanc voculam agnoscit.

6) vult) Omnes volet.

7) iis) Omnes his.

8) idemque) Omnes idque

9) adiecta vva ex olla, vel olea ex defruto) Lomm. adiecta vva, vel olea, vel ex defruto, Lind. et Val. aut qua fricta ex oleo, vel ex defruto. Kraus. adiecta vva, qui olea, vel ex defruto. Targ. adiecta vva ex olla, vel ex defruto. Suspiciatur tamen, quam exhibeo scripturam, esse veriore.

10) leni) Lomm. leui.

## CAP. VII. \*)

**A**t <sup>1)</sup> si laxius intestinum dolere consuevit <sup>2)</sup>, quum id nihil, nisi genus inflationis, sit, id agendum est, vt concoquat aliquis, vt lectione aliisque <sup>3)</sup> generibus exerceatur, vtatur balneo calido, cibisque <sup>4)</sup> et potionibus calidis, denique omni modo frigus vitet <sup>5)</sup>, item dulcia omnia, leguminaque, et quidquid inflare consuevit.

## CAP. VIII. †)

**S**i quis vero stomacho laborat, legere clare debet; post lectionem ambulare; tum pila, vel armis, alioque quo genere, quo superior pars mouetur, exerceri; non aquam, sed vinum calidum bibere ieiunus; cibum <sup>1)</sup> bis die adsumere, sic tamen, vt facile eum <sup>2)</sup>

con-

---

\*) Lomm. Lind. Kraus. praemittunt lemma:

*Remedia ad coli dolorem.*

1) At) Lomm. Et.)

2) consuevit) Omnes adiiciunt: quod κόλον (Lomm. κώλον, Targ. colum) nominant. Targa tamen haec verbum Celsi esse non putat.

3) aliisque) Omnes, si a Targa discesseris, et aliis.

4) cibisque) Omnes cibis quoque.

5) vitet) Sic Targa: reliqui evitet.

†) Lomm. Lind. Kraus. praefigunt lemma:

*Quae agenda sint stomacho laborantibus.*

1) cibum) Lomm. tum cibum.

2) eum) Omnes hanc voculam ignorant.

concoquat; vti vino tenui et austero, et post cibum frigidis potionibus potius.

Stomachum autem infirmum indicant pallor, macies, praecordiorum dolor, nausea, et nolentium vomitus, in ieiuno <sup>3)</sup> dolor capitis. Quae in quo non sunt, is firmi stomachi est. Neque credendum vtiq; nostris est, qui, quum in aduersa valetudine vinum, aut frigidam aquam, concupierunt <sup>4)</sup>, deliciarum patrocinium in accusatione <sup>5)</sup> non merentis stomachi habent.

At qui tarde concoquunt, et quorum ideo praecordia inflantur, quia propter ardorem aliquem noctu sitire consuerunt <sup>6)</sup>, ante, quam conquiescant, duos tresue cyathos per tenuem fistulam bibant. Prodest etiam aduersus <sup>7)</sup> tardam concoctionem clare legere, deinde ambulare, tum vel vngui, vel lauari, adsidue vinum frigidum bibere, et post cibum magnam potionem, sed, vt supra dixi, per siphonem, deinde omnes potiones aqua frigida includere <sup>8)</sup>. Cui vero cibus acefcit, is ante eum bi-  
bere

3) ieiuno) Val. ieiunio.

4) concupierunt) Targ. concupiuerunt.

5) in accusatione) Lomm. Lind. Kraus. Targ. in accusationem Val. accusationem.

6) consuerunt) Lomm. consueuerunt.

7) aduersus) Val. aduersum.

8) includere) Lomm. intercludere.

bere aquam egelidam debet, et vomere: at is<sup>9)</sup>,  
cui ex hoc frequens deiectio incidit, quoties alius  
ei constiterit, frigida potione potissimum vtatur.

CAP. VIII. \*)

Si cui vero dolere nerui solent<sup>1)</sup>, huic, quan-  
tum fieri potest, exercendum id est, quod ad-  
fectum est, obiiciendumque labori et frigori, nisi  
quum dolor increuit, sub quo<sup>2)</sup> quies optima est.  
Venus<sup>3)</sup> semper inimica est: concoctio, sicut<sup>4)</sup> in  
omnibus corporis adfectibus, necessaria<sup>5)</sup>. Crudi-  
tas enim id maxime laedit, et, quoties offensum  
corpus est, vitiosa pars maxime sentit.

Vt concoctio autem omnibus vitiis succurrit<sup>6)</sup>: sic  
rursus aliis frigus, aliis calor. Quae sequi quisque  
pro habitu corporis sui debet.

Frigus inimicum est seni, tenui, vulnere, prae-  
cordiis, intestinis, vesicae, auribus, coxis, scapu-  
lis,

9) is) Lind. Targ. Val. si.

\*) Lomm. Lind. Kraus. praamittunt lemma:

*Quid obseruandum sit dolore neruorum laborantibus.*

1) solent) Omnes addunt: quod in podagra chiragraus-  
esse consuevit. Targa tamen, haec verba ex mar-  
gine inserta fuisse, suspicatus est.

2) quo) Lomm. dio.

3) Venus) Val. adiicit ei.

4) sicut) Val. sicuti.

5) necessaria Lomm. Kraus. Val. adiiciunt est.

6) succurrit) Omnes occurrit.

lis, naturalibus, ossibus, dentibus, neruis, vuluae, cerebro. Idem summam cutem facit pallidam, aridam, duram, nigram. Ex hoc horrores tremoresque nascuntur. At prodest iuuenibus, et omnibus plenis, erectiorque mens est, et melius concoquitur, vbi frigus quidem est, sed cauetur. Aqua vero frigida infusa, praeterquam capiti, etiam stomacho prodest, item articulis dolentibus <sup>7)</sup>, qui sunt sine vlceribus, item rubicundis cutis summae inflammationibus <sup>8)</sup>, si dolore vacant.

Calor autem adiuuat omnia, quae frigus infestat, item lippientes, si nec dolor, nec lacrimae sunt, neruosque <sup>9)</sup>, qui contrahuntur, praecipueque ea vlcera, quae ex frigore sunt. Idem corporis colorem bonum facit, vrinam mouet. Si nimius est, corpus effeminat, neruos emollit, stomachum soluit.

Minime vero et frigus, et calor <sup>10)</sup>, tuta sunt, vbi subita insuetis sunt. Nam frigus lateris dolores, aliaque vitia, frigida aqua strumas excitat: calor concoctionem prohibet, somnum aufert, sudore <sup>11)</sup> digerit, obnoxium morbis pestilentibus corpus efficit.

CAP.

7) dolentibus) Omnes doloribusque.

8) cutis summae inflammationibus) Omnes nimis hominibus.

9) neruosque) Omnes ueruos quoque.

10) et frigus, et calor) Omnes aut frigus, aut calor.

11) sudore) Lomm. Lind. Val. sudorem.

## CAP. X. \*)

Est etiam obseruatio necessaria, qua quis in pestilentia vtatur adhuc integer, quum tamen securus esse non possit. Tunc <sup>1)</sup> igitur oportet peregrinari, nauigare, vbi id non licet, gestari, ambulare sub diuo <sup>2)</sup> ante aestum leniter, eodemque modo vngui, et, ut supra comprehensum est, vitare fatigationem, cruditatem, frigus, calorem, libidinem, multoque magis se continere, si qua <sup>3)</sup> grauitas in corpore est. Tunc <sup>4)</sup> neque mane surgendum, neque pedibus nudis ambulandum est, minimeque post cibum, aut balneum; neque ieiuno, neque coenato, vomendum est: neque mouenda aluus, atque etiam, si per se mota est, comprimenda est: abstinendum potius, si plenius corpus est; itemque vitandum balneum, sudor, meridianus somnus, vtique, si cibus quoque antecessit, qui tamen semel die tunc <sup>5)</sup> commodius adsumitur, insuper etiam modicus, ne cruditatem moueat. Alternis diebus in vicem modo aqua, modo

vi-

\*) Lomm. Lind. Kraus. praefigunt lemma:

*Obseruatio in pestilentia.*

1) Tunc) Omnes Tum.

2) diuo) Kraus. dio.

3) continere, si qua) Lind. et Val. continere. Si qua.

4) est. Tunc) Lind. et Val. est, tum. Reliqui est. Tum.

5) tunc) Targ. tum.

vinum, bibendum est. Quibus seruatis, ex reliqua victus consuetudine quam minimum mutari debet. Quum vero haec in omni pestilentia facienda sunt <sup>6)</sup>, tum in ea maxime, quam austri excitarunt <sup>7)</sup>. Atque etiam peregrinantibus eadem necessaria sunt, vbi graui tempore anni discesserunt ex suis sedibus, vel ubi in graues regiones venerunt. Ac si cetera res aliqua prohibebit, vtique retineri debet <sup>8)</sup> a vino <sup>9)</sup> ad aquam, ab hac ad vinum, qui supra propositus est, transitus <sup>10)</sup>.

6) sunt) Lind. Kraus. Targ. sint.

7) excitarunt) Omnes excitarint.

8) retineri debet) Omnes abstinere debet, atque ita.

9) a vino Lomm. Kraus. Val. ab vino.

10) qui supra propositus est, transitus) Omnes eo, qui supra positus est, modo transitus ei esse.





reli-  
utari  
cien-  
exci-  
n ne-  
erunt  
ene-  
ique  
c ad

uidd  
uere

uere

ita.

qui

qui

qui

qui

qui

qui

qui

qui

qui

qui

qui

